

Petrus de Vinea

*Ep. II 1 (Exultet iam
Romani culmen Imperii...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 1 (Exultet iam
Romani culmen Imperii...)*

post 27 novembre 1237

De bello et conflictu Mediolanensium et captione currus ac Potestatis eorumdem.

1. Exultet iam Romani culmen Imperii, et pro tanta uictoria principis mundus gaudeat uniuersus; erubescat illicita Lombardorum societas, confundatur rebellis insania, et pro tantae stragis exitio inimici populi contremescant. 2. Prae omnibus tamen infelix Mediolanensis ingemiscat et doleat et amare prorumpat in lacrimas de tantis occisorum cadaueribus militum et ciuium captiuorum, et amodo mundi obedire uel subesse domino acquiescat. 3. Verum qualiter hostilis sanguinis flumina Cesareos tinxerint gladios, qualiter inimicos cuneos imperatoris potentia expugnauerit, audiat. 4. Postquam mirabiles machinae Montis Clari menia cum trabuccis et instrumentis aliis tormentarint, et postquam irreparabile Brixienae regionis incendium multos terruit, Mediolanensibus, Placentinis et eorum fautoribus, qui ad Brixianorum auxilium uenerant, Cesar procedebat ferociter cum suo exercitu obuiare. 5. Cum uero ad Pontisuici ueniret predia, idem imperator magnanimus castrametatus est iuxta temptoria inimici, ita quod utriusque partis positionem exercitus quaedam aqua peruissima diuidebat, ubi multiplicatis uiribus Cesareae maiestatis ad miscenda prelia erat audax imperator. 6. Sed cum rebelles inimicos uoluit aggredi, hostis pusillanimitas, pugnae formidans discrimina, in stagnis circumadiacentibus se conclusit, cuius astantiae munimine positus ordine belli non poterat insiliri. 7. Tandem prudentia principis usa saniori consilio, ibi dimissis hostibus, in Cremonam pontibus cum ueloci cursu Lolium pertransiuit, sicque quod per huiusmodi fluminis marginem ultra decem milia sui exercitus

secum trahens, in ponte Brixiae signa direxit uictricia, ut ad hostium ingressum exercitu, inimicos, qui iam transierant Lolium in prediis Pergami pugna quam parauerat acriter insiliuit. 8. Et ita imperatoris militia properabat ad prelium expedite, tamquam leones, quos fames extimulat, ad stabula cursitant armentorum; ulterius nec mora protracta, die tricesimo septimo mensis nouembris, undecima indictione, utriusque partis cunei precursores per Curtis Nouae campos alternis cursibus impetuose furentes, hinc inde consortibus manibus inuicem clangore tubarum milites animantes, bellum terribile inceperunt, et subsequentibus turmis undique commixtis, alterutrum cum hinc inde foret diu dureque certatum, tandem, Mediolanensium militia Caesaris uiribus ferociter interrupta, et usque ad suorum castrorum impulsa hospitia uiriliter, cepit quasi cursu ruinae multiplici iam labere; nam multiphariae cedis pernicie imperialis exercitus ignobile uulgus flagitando perurgens campum sanguineum precipiti populo cumulabat. 9. Sed illius diei narrare pericula quis ualeret, hostium acervos cadauerum scribere, quis captiuorum nomina numerare? 10. Tandem enim Deus iustus iudex iura protexit Imperii, et ad tanti casus interitum subito deiecit superbiam rebellium Lombardorum, quod ipso die triste Mediolanum cum suis fautoribus florem militiae, populi et Carrucium cum Potestate turpiter amiserunt, et ex hostibus, tot quot uoluit, quisque de nostris occidit et quot uoluit captiuauit. 11. Tandem relictis armis, tentoriis et currubus, ferri mortem irreparabilem populus fugiebat, ita quod maior eorum pars in fluminibus se submersit. 12. Tunc Cesar pre omnibus militibus sue uirtutis potentiam est expertus. Ipse enim cuneos cunctos

inimicorum manu propria feriebat. Tunc Theutonici suos gladios rubenti sanguine rubricarunt, tunc felices fidelesque Regni milites collaterales principis mirabiliter pugnaverunt. Tunc miranda Papiæ militia se de Mediolanensibus militibus uindicauit et fidelis Cremona cum sociis ciuitatibus secures sanguine saturauit, et suas euacuarunt pharetras Sarraceni. 13. Numquam enim in aliquo umquam bello sic fuerunt cadauera cumulata, et nisi nox festine uenisset, quæ hostium subtraxit reliquias, nullus eorum de manibus Cesaris euasisset. 14. Sed mira res, quod in tam belli conflictu terribili, imperialis exercitus extitit sine damno! 15. Sic utique deuictis hostibus et fugatis, cum triumpho Cremonam uenit inclitus imperator. 16. Inde infortunatum Carrucium Mediolanense cum Potestate, filio ducis Venetiarum, aliisque captiuis Cremonam accelerans sequenti die ad mandatum Cesaris, sui uexilli pertica usque ad terræ faciem turpiter inclinata, potestate ad dedecus ligata superius et multitudinem gentium magnis applausibus pretereunte, ab elephante, qui castellum ligneum et tubicinas cum uexillis Imperii gerebat in dorso, per Cremonam ad laudem et gloriam principis trahebatur. 17. Vere de throno Dei sententia prodiit inferens iudicium ultionis, nam nec occisis sufficiunt sepulturae, nec Cremonensium palatia multitudinem capiunt captiuorum. Quapropter imperiale festum uictoriae sollempni gaudio fideles populi celebrantes, de tanti trophei preconiiis ingenti letitia gaudeatis.